

## ¶ Liber Sextus.

gratie. Item in agno pascale quo signabatur liberatio a seruitute egiptiaca. Item noster agnus est signum liberationis a dyabolo. Item in diuersis sacrificijs de quibus habetur in Leui. quibus figurabat oblatio passionis xpi. Vbi fuit hostia quo ad reconciliationem. et victima quo ad satisfactionem pro peccatis nostris. et holocaustum quo ad totius corporis sui lesionem. In oblatione manne. de qua legitur Iud. per quam signabatur in quo deberet fieri oblatio. et super quem. quia in fide ihesu xpi qui per petram designatur. In virga Ionathae mellis. ubi figuratur quis offerre debeat. quia Ionathas. Per fauum aut mellis designatur deuotio offerentis. Figura sanguinis xpi fuit vinum ad designandam refectionem. Lanti. Introduxit me rex in cellam suam. Item aqua ad designandam ablutionem. Unde Iud. aquam egredientem. Item sanguis ad designandum redemptionem. Hebr. Sine sanguinis effusione non fit remissio.

¶ De dignitate eucharistie et mirabilibus in ea. Capitulum .xij.

**D**ignitas et excellentia huius sacramenti apparet in multis. Primo quia sicut iam predictum est tam ante legem quam in lege fuit prefiguratum. Secundo quia a prophetis pronuntiatur. Plal. Panem angelorum manducauit homo. preteritum ponit pro futuro. prophetali certitudine. Tercio quia a xpo institutum. Et hoc dupliciter. scilicet verbo et facto. Verbo ut patet in Iohan. Ego inquit sum panis viuus qui de celo descendi. Facto vero ut ait in Math. Accipite et manducate. hoc est enim corpus meum. Quarto quia ab apostolis obseruatum. Corinth. xi. Conuenientibus vobis in vnum. Quinto quia a summis pontificibus solemnizatum. qui ordinauerunt tamen. et orationes et locum et tempus. et vestimentum et vasa diuersa. quae omnia sunt ad decorem huius sacramenti. ¶ Maxima dignitas apparet in hoc sacramento. quia cum xps constet ex tribus substantijs deitate anima et corpore. Ipsa quidem deitas excellit omnia. Plal. magnus dominus et laudabilis nimis et cetera. Item anima eius precellit omnes animas cum sit plena gratia et virtute. et perfectissima in affectu et cogitativa. Item corpus precellit omnia corpora. quod de sanctificato corpore fuit sumptum beatissime virginis et deitate unitum. Ergo in xpo nobilissimum in celo et nobilissimum in terra unita sunt. ¶ Mirabilia multa sunt in hoc sacramento. Primum est quod est corpus xpi in tanta quantitate sicut fuit in cruce. et sicut iam est in celo. Nec tamen excedit terminos illius forme. Secundum quod sunt ibi accidentia sine subiecto. Tercium quod panis ita conuertitur in corpus xpi quod tamen non fit materia corporis xpi. nec etiam annihilatur. Quartum quod corpus non augetur ex multarum hostiarum consecratione. nec minuitur ex hostiarum sumptione. Quintum quod idem corpus numero in pluribus locis est. id est sub omnibus hostijs consecratis. Sextum est